

**Propempticon inaugurale septimum dissertationi solenni de auditu
praemissum quo simul ad dubia contra mechanismum pectoris mota
respondeatur / [Georg Erhard Hamberger].**

Contributors

Hamberger, Georg Erhard, 1697-1755.
Hoffmann, Christoph Ludwig, 1721-1807.

Publication/Creation

Jena : J.C. Cröker, [1746]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/y6xajkhw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

1858
GEORGII ERHARDI
HAMBERGERI
FACVLTATIS MEDICAE
H. T.
DECANI

PROPEMPTICON IN AVGVRALE
SEPTIMVM
DISSERTATIONI SOLENNI
DE
A V D I T V
PRAEMISSVM
QVO SIMVL AD DVRIA
CONTRA
MECHANISMVM PECTORIS
M O T A
RESPONDETVR.



IENAE
LITTERIS IO. CHRIST. CROEKERI.

GEORGII BERNARDI
LITERARII MAGDEBVRGENSIS
ACADEMICO-MEDICO
ET HISTORICO
LEGENDARII

PROLOGUS IN VENATIONE
SALVATORIS

DISTRIBUTIONI SOLEMNI

DE

PLUVIA

PARVAM

AD SIMILIA DABAT

CONTRARIO

MISERICORDIA MERCATORUM


ATOM

RESONANTIA

EXCEP

EXCEP

LITTERAE IN CLOISTERO



Pergit Ill. HALLERVS ex mutata hypothesi contra me pugnare: quando enim porro l. c. p. 89. instat: *Interni musculi anterius et a sterno, et proxime sternum oriuntur, in costa superiori, inferiorem vero finem remotiorem a sterno habent.* Ergo ex eisdem legibus ibi costas eleuant, ex quibus posterius eas deprimere dicuntur. Externos vero finiri, priusquam ad sternum veniant, ne costas adducent SENACVS monet p. 249. etiam haec sub praemissa hypothesi, quod sternum costis sit firmius, et in eo sit costarum hypomochlion, sunt intelligenda.

Generatim ergo eadem, quae sexto propemtico contra modum refutandi per hypotheseos mutationem, et an in pectore hypothesin mutare, et, repugnante quamuis experientia, sternum non solum costis, sed et ipsa spina dorsi mobilius assumere liceat, disputaui, etiam hic valebunt. Speciatim vero respondeo,

a) veram esse et hypothesin et conclusionem, si sub nomine costarum, pars tantum earundem anterior, cartilagines nempe, et sub nomine internorum muscularum, itidem ea tantum pars, quam ego tanquam peculiarem musculum considero, et intercartilagineum appellaui, intelligatur. De his enim muscularis, intercartilagineis nempe, ipse demonstravi, (diss. meae §. 29. ad 32.) quod, cartilagines et costas eleuando, sternum anteriora versus pellant: Id quod geometricae quoque est necessitatis, quia intercartilaginei breuiores fieri, i. e. agere, nequeunt, nisi angulus, quem cartilagines cum sterno inferius includunt, fiat maior, i. e. nisi cartilagines, consideratae

quatenus punctum fixum habent ad sternum, adscendant.
Quodsi vero

b) credat Ill. **HALLERV**S, etiam istos musculos internos, qui inter costarum osseam haerent partem, si sternum ponatur immobile, costas eleuare debere, grauiter errat. Hi enim musculi nunquam breues, i.e. contracti, esse possunt, nisi in situ costarum depresso, siue, quod idem, nisi angulus, quem costae inferius cum spina includunt, sit magis acutus, vti ex *fig. 2. dissertat. meae* videri potest: linea enim *kc*, quae exhibet situm et magnitudinem intercostalium internorum, in situ costarum *ac* et *bd* depresso, longe minore est, quam *lg*, quae eorundem quidem muscularum situm et magnitudinem, ast in situ costarum eleuato, sistit: Vnde sequitur, hosce musculos intercostales internos nunquam agere, i.e. breuiores fieri, posse, nisi simul costae descendant, quaecunque sit ligamentorum firmitas. Haec enim, si quid efficiat, motum quidem retardare vel plane sistere debet, minime vero efficere valet, vt vel intercostalis internus breuior sit in situ costarum eleuato, quam in depresso; vel, vt musculi intercostales, contra naturam omnium muscularum, longiores fiant dum agunt, et sese elongando costas eleuent.

Quid sibi velit Ill. **HALLERV**S, cum vltimis ex **SENACO** adductis verbis, plane non perspicio, et forsitan ipse, quid velit nescit. Ad nostram enim controuersiam haec **SENACI** sententia nihil plane pertinet. Ipsius potius Ill. **HALLERI** sententiae haec **SENACI** thesis est contraria. **HALLERV**S enim p. 90. sui commentarii totus in eo occupatur, vt probet inmusculos omnes intercostales *costas adducere*, quomodo igitur fieri potest, vt musculi intercostales externi ideo finiantur, priusquam ad sternum pertineant, *ne costas adducant*. Ne

Ne solus videatur contra me pugnare velle Ill. **HALLERVS** ad communem nostrum amicum, cl. Lipsiensium **LUDWIGIVM** prouocat, quando dicit : *Recte monet Cl. LUDWIGIVS impossibile esse antagonistas esse eiusmodi musculos, quorum unus nunquam possit absque altero aut elongari, aut reddi breuior.*

De veritate huius theses in se spectatae tantum abest, vt dubitem, vt potius eadem primam mihi dederit occasionem de vera pectoris mechanica cogitandi. Sed nego atque pernego, hanc thesin mechanicae pectoris, quam ego exposui, posse opponi. Consideret modo Ill. **HALLERVS** figuram secundam meae dissertationis, et corporis oculis videbit, quod mentis oculis non vult perspicere : nempe lineam *ak* esse quidem linea *al* longiore, *ke* vero esse linea *lg* breuiorem. Cum igitur *ak* sit fibra musculi intercostalis externi, et *ke* fibra musculi intercostalis interni, vtraque in situ costarum depresso, *al* vero sit fibra intercostalis externi, et *lg* fibra intercostalis interni, vtraque in situ costarum eleuato, apparebit falsum esse, vnum intercostalium non posse absque altero intercostalium aut elongari aut breuiorem reddi. Internus enim *ke* si elongatur in *lk*, externus *ak* non simul elongatur, sed abbreviatur, et fieri *al*, itemque si *ak*, tanquam externus, abbreviatur et fit *al*, internus *ke* non simul abbreviatur, sed elongatur, fit enim *lg*.

Forsitan regeret Ill. **HALLERVS** hanc simultaneam muscularum intercostalium internorum elongationem et externorum contractionem, atque vice versa internorum contractionem eodem tempore, quo externi elongantur, contingentem, tunc tantum locum habere, si assumatur, extremitatem costarum anteriorem, una cum sterno, durante inspiratione adscendere, durante

exspiratione vero descendere, minimē vero si sternum sit immobile. Si haec regerere placeat, tunc iure meritoque postulo, vt probet, eam modi respirationis historiam, quam ipse in notis p. 100. proposuit, esse veram. Nempe

1) quod sternum reuera nec adscendat nec descendat nec anteriora versus, praecipue inferiore sua parte, moueatur;

2) quod costarum extremitates vertebrales, tametsi dupli articulo cum vertebris commissae et ligamentis strictae sint, tamen a musculis intercostalibus parum eleuari queant.

3) quod cartilagineae appendices paulo plus, nempe quam costae, eleuentur.

4) quod, dum cartilagineae appendices adscendunt, earum apices, sterno nempe contigui, deorsum comprimantur, et paulum rotando descendant

5) quod, dum medii costarum arcus adscendunt, earum extremitates leniter rotentur.

Lubenter enim fateor, me perspicere haud posse, quomodo arcus latus, in tribus suae longitudinis, non punctis, sed locis seu superficiebus, corporibus immobilibus partim per ligamenta adstrictus, partim per totam suam latitudinem concretus, rotari queat. Costae vero in duabus sat magnis suae superficie partibus, tam vertebrais, prope iuncturas corporum istarum, quam apophysibus earum transuersis, per robusta ligamenta sunt alligatae, et anterius earum cartilagines, tota sua latitudine, sterno proxime cohaerent.

Demonstratio vero quam exspecto vel talis esse debet, vt sensuum testimonio veritas pateat; vel vt calculo adhibito ostendat, vim muscularum intercostalium ad

rotan-

rotandas vertebraes, resistentia ligamentorum, ad vertebraes reperiundorum, et cohaesionis cartilaginum cum sterno maiorem esse. Omnia alia argumenta tanquam nugas considerabo, quia thesium demonstrationes requisitae alio modo dari nequeunt.

Haec iam sufficient, finem controuersiae, praeter opinionem protractae, proximo dabo propemtico. Praemittenda haec erant vitae curriculo

Clarissimi Medicinae Doctorandi

CHRISTOPHORI LVDOVICI HOFFMANNI

Natus is est Rhedae, Westphaliae vrbe, anno MDCC-XXII, Patremque veneratur Virum dum viueret Illustrem, GVLIELMVM HOFFMANNVM, qui Celsissimo Comiti de Bentheim Tecklenburg Steinfurt et Limburg etc. etc. a consiliis fuit regiminis et Cancellariae director. Matrem exosculatur dilectissimam MARIAM DOROTHEAM PAPPELBAVM, Rintelensis senatoris et mercatoris filiam. Amore naturali erga optimum filii ingenium dueti optimi hi parentes, nihil omiserunt quod ad ingenii pariter ac corporis filii culturam pertinere crediderunt. Pietatis et doctrinarum fundamenta ex FVRSTENAVIO Cel. Rintelensi. Professoris fratre, hausit, quo a Cels. Comite publico officio ornato, curae fidelissimae, cl. HVTH, scholae Rintelensi-um Rectoris, est traditus. Viri huius clarissimi opera, nostro nunquam non grato animo praedicanda, eo est perductus, vt anno MDCCXXXVIII. in numerum ciuium academicorum Rintelensiум fuerit receptus. Frequentauit ibi per integrum annum Cel. BIERLINGII Col-

Collegium logicum et morale, itemque Cel. **FVNCCI**
 Collegium tam styli cultoris quam historiae vniuersalis,
 priuatim et priuatissime. Hinc ad nostram abiit Acade-
 miam, et per biennium b. **STELWAGII** Lectionibus
 logicis et metaphysicis, atque meis in mathesin puram,
 physicis, physiologicis, pathologicis et chimicis inter-
 fuit lectionibus.

b. **BOERHAAVII** fama motus Lugdunum Batauorum
 abire decreuerat, hoc vero interea mortuo, Harde-
 ronici, praeeunte Cel. de **GORTER**, totum, quem di-
 cunt, audiuit cursum medicum. Biennio etiam hic per-
 acto, denuo salanam nostram adiit, measque lectiones
 in Mathesin adplicatam, Algebra et Anatomiam, repe-
 titis simul supra memoratis medicis atque physicis, au-
 diuit.

Sub initium praeteriti anni receptionem in nume-
 rum candidatorum a facultate nostra modeste petiit. Sa-
 tisfecit in duobus examinibus expectioni nostrae, et
 iam in eo est, vt, die **xvi. Iulii**, suam de **A V D I T V**, sub
 praesidio Ill. **HILSCHERI**, defendat dissertationem in-
 auguralem.

Hic actus, vt decentem obtineat splendorem atque
 solennitatem, Magnificum Academiae Pro-Rectorem,
 Magnificum Academiae Pro-Rectorem designatum, Pa-
 tres Academiae venerandos, Hospitesque omnium or-
 dinum honoratissimos, ea qua decet obseruantia, colle-
 gii mei nomine, oro rogoque, velint eidem honorificam
 suam praesentiam haud denegare. P. P. d. **x. Iulii**

M DCC XLVI.

(L. S.)